



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Iure Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De peculio Clericorum. Consilium CCCLXXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

De peculio Clericorum.

S V M M A R I V M.

Scholaris an de fructibus sui beneficii testari possit.

1. Privilegia allegari & probari debent.
2. 6. 13. Clericus an de bonis mobilibus per Ecclesiam acquisitis testari possit.
3. Regulam qui pro se habet, intentionem habet fundatam.
4. 7. 11. 18. Privilegia scholarum quatenus extendantur.
5. 9. Scholares in absentia fructus percipere possunt.
8. Exemptus quandoque ratione rei exen. pius non est.
13. Casus omnis subest iuri communi.
12. Notorium quando allegasse sufficiat.
14. Naturales & illegitimi quando testari possint.
15. Licentia testandi impetrata quid operetur.
16. Princeps non praesumitur derogare iuri alteri quæsto.
17. Princeps adversus clericos constituere non potest.

CONSILIVM CCCLXXV.

PLANA sunt omnia, quæ utrimque in hac causa proferuntur, inter hæredes quondam Domini & Magistri Ioannis Styvarts Actores; ac Ioannem du Pont Reum, & pro eo Dominum Hermannum Steenbergis Collectorem fructuum Reverendissimi Domini Episcopi Leodiensis intervenientem, allegantur; excepto uno articulo, in quo totius causæ decisio hæret; videlicet, an suppositis, Magistris, ac scholaribus almæ Universitatis Studij generalis Oppidi Lovaniensis ex privilegio aliquo competat, ius faciendi testamenti de fructibus beneficiorum suorum, non obtentâ licentiâ testandi ab Episcopo? Quæ questio facti magis, quàm iuris est, consistens nimirum in allegati privilegij probatione. † Privilegia enim omnia cùm iuri communi adversentur, l. i. in singulari D. de legib. quatenus corpori iuris inclusa non sunt, non tantum allegari, l. si quis ex aliena de iudi. l. 2. si quis in ius voc. non tenet, sed etiam probari debent, cùm in facto constant, c. 1. de consil. lib. 6. Itaque alleganti aut dicenti se habere privilegium, credi non debet, nisi id ostendat, Gloss. in c. Recepmus. de privileg. cùm nulla præsumptio iuris sit pro privilegio, eo quod facti sit, & à iure communi recedat, c. Cum persone de privileg. lib. 6. DD. in l. si solemnius C. de fide instrum. * Ideoque in hac causa intentio Actorum, sese fundantium in privilegio, fundata non est; sed fundata est defensio & exceptio Reorum, sese fundantium in generali iure & consuetudine Diocesis Leodiensis; ex qua fructus ac redditus Ecclesiastici beneficiorum in Diocesi Leodiensi (licentiâ testandi ab Episcopo Leodiensi minimè obtentâ) decedentium, in vita eorundem beneficiorum minimè percepti aut levati, licet cessi, pertinent ac spectant ad Reverendissimum Episcopum Leodiensem & Archidiaconum loci. Quam consuetudinem ita per Reum allegatam, Actores aperte confessi sunt; additâ tantum unâ exceptione; & ijs non contentibus, facile probari potuissent, præsertim quia iuri communi sit conformis, quo Clericus de bonis mobilibus per Ecclesiam acquisitis, testari prohibetur, c. Cum in officiis, c. ad hæc, c. Quia nos, c. Relatum Conf. Wamef. Tom. II.

2. De testam. Bald. cons. 313. Præmittendum vol. 2. adeo ut ne quidem de redditibus ex simplici beneficio acquisitis testari possit, Panor. c. Cum esses nu. 23. & in d. c. Cum in officiis. De testam. Et quamvis ex iure communi hi extantes redditus, vel Collegio vel successor in beneficio reservari debeant, d. c. Relatum ibi DD. nihil tamen vetat consuetudine induci, ut ad alium pertineant, c. Presenti §. perro De off. ord. lib. 6. in Extravag. Ioan. XXI. incip. Suscep. De elect. Vnde manifestum est, quod in defectu probationis allegati privilegij, Rei obtinere debeant ex generali iure, ac potestate generalis consuetudinis, Paris. cons. 95. Stante informatione nu. 8. vol. 4. * Ut generaliter fundatam intentionem habet, qui regulam pro se habet, quamdiu per excipientem exceptio non probatur, Gloss. in l. 1. de reg. iur. Andr. Trauell. de retract. §. 1. Gloss. 9. nu. 209.

Cùm itaque Actores obiectam generalem consuetudinē agnoscunt, exceptionem adjunxerint; quasi illa non extendatur ad supposita dictæ Universitatis, de sola exceptione quærendum est. Quæ exceptio dupliciter proposita est; semel per modum generalis exceptionis, quasi sub illa generali consuetudine non contineantur supposita: ut illa non obstant, subditi Universitatis de bonis ac fructibus beneficiorum testari possint; semel restricti, quod subditi Universitatis testari possint secundum privilegia Universitatis. Sed neutra in proposito casu satis efficax est: nam generalis exceptionis potestas fragilis est, cum exceptio specialis esse debeat.

Neque ratio est, cur supposita Universitatis respectu beneficiorum, quæ Universitati incorporata non sunt, sed manent sub iurisdictione, potestate, ac lege diocesanâ Episcopi, propter scholaritatem alio iure debeant censeri; cùm privilegia scholarum corpori iuris inclusa, Auth. Habita C. Ne fili. pro pure c. fin. de magistr. c. Licet De praben. c. Tue De cler. non resid. c. Cum ex eo de elect. lib. 6. c. 2. De privileg. lib. 6. ad expressos casus restringantur, & ultra eos extendi non debeant, Privilegia enim ad casus diversos, ac eandem rationem non habentes, proferri vel ampliari non debent, Bald. in l. 1. in princ. C. de legib. † Quamvis itaque iure communi permittatur studentibus, ut in absentia fructus beneficiorum suorum exceptis quotidianis distributionibus percipiant, d. c. fin. d. c. Licet, velm. cons. 18. Stante consuetudine, Rebuff. De privileg. scholar. privileg. 31. vitiatâ regula iuris, quæ cavetur, ut absentes à suis beneficiis de fructibus suorum beneficiorum nihil percipere, sed ijs privari debeant, c. Inter quatuor, c. Tue De cler. non resid. c. Pervenit 3. De appell. * nulla tamen est lex, nullus Canon, qui Clericis studentibus aliquod privilegium concedat latius vel amplius testandi, quàm alioqui quisque iure communi potest; excepto eo solo, quod, licet quidam controvertant, filiusfamilias in studio agens velut miles, & velut de castrensi, seu quasi castrensi peculio testari possit, Rebuff. de privileg. schol. privilegio 128.

Nec obstat, quod studentes ab ordinarij Episcopi iurisdictione sint exempti: nam etsi hoc verum sit, quoad eorum personas, ratione tamen rerum seu beneficiorum, cùm de illis & inde provenientibus

tibus agitur, aliam personam, aliamque qualitatem induunt. Et quidem in rebus iurisdictioni Episcopi subiectis, hoc est beneficiis, extra casus specialiter in privilegiis expressos, pro subditis Episcopi reputari debent: in alijs pro exemptis; cum nihil vetet, exemptum generaliter à iurisdictione ordinarii, eius subditum esse ex consideratione beneficii non exempti, quod obtinet; ut aperto iure decusum est, in *c. Cum capella de privilegijs*. ita ut diversarum qualitarum consideratio iuris varietatem constituat, *preses in locis legalibus in loco A tamquam*.

- De quo minus in proposito dubitandum est: idèd quod privilegium perceptionis fructuum restrictum ad solam perceptionem, in ea iuris fictione fundetur, quali beneficio adfint, cum studiis vacant, *d. c. fin. De Magistris*. Quà fìcti one ad veritatem conversà, hoc est, isto possessore beneficii verè residente, ipsi non esset plenum arbitrium horum fructuum, nisi per actum inter vivos, & minime per actum ultimæ voluntatis, *d. c. Cum in officijs, cum alijs supra allegatis*. Sic quòd omne privilegium scholasticum quoad hunc articulum, consistat in facultate percipiendi, & in removenda consideratione absentia: sed quoad alias incidentes quaestiones circa usum ac dispositionem sic ex privilegio in absentia perceptorum fructuum, quoniam illa specialiter privilegio non continentur, iuris communis, vel consuetudinis generalis observatio sequenda, & accommodanda est. Vnde rectè deciderit Panormitanus, in *d. c. fin. in fine De Magistris*, quòd hac libertas percipiendi fructus in absentia non adiciat potestatem illos omnes pro quinque vel pluribus sequentibus annis, quibus beneficiatus studio insistere cogitat, in principio studij unicà venditione vendendi; *¶* ut casus in privilegio omisus pro omisso habeatur, & iuris communis, vel consuetudinis generalis dispositioni relinquatur, *c. Susceptum De rescriptis lib. 6. l. si extraneus De condic. caus. dat. l. Commodissime Deliber. & possib.* Ac proinde manifestum sit, quòd generalis & indeterminata exceptio ab hac generali præscripta consuetudine, obtinente in omnibus beneficiis, in beneficijs diocesis Leodiensis non exemptis (quale esse hoc beneficium ad altare S. Nicolai in Ecclesia parochiali de Orpio magno Rei articulaverunt & Actores confessi sunt) nihil omnino operetur: cum ex iuris communis ratione constet, exemptorum ac privilegiatorum prærogativam non extendi ad ea, quæ sunt specialiter vel generaliter Episcopo attributa, extra casus in privilegio exemptionis comprehensos; præsertim ratione & respectu rei.
- Minor est potestas specialioris ac restrictioris exceptionis fundata in allegatione specialis privilegij diocesis Universitatis; quasi suppositis Universitatis beneficiis concessum quoque sit, ut ultra facultatem percipiendi fructus beneficiorum in absentia, de ipsèd quoque sine licentià Episcopi tollari possint; quia, ut hic non subsistamus, nulla est prohibitio huiusmodi privilegij allata, ideoque nihil prodèssè debet illius allegatio, *l. in lege De contrah. empt.*

- Nec ad rem facit, quòd Actores notorietatem huiusmodi privilegij allegent, & quòd notorium

allegare sufficiat, *Gloss. Clem. Appellanti & ibi Doct. De appell. ac probare necesse non sit; quasi notoria sint certa, ac vera esse præsupponantur*, *Gloss. & DD. in l. si vero §. qui pro rei Qui facti. cog. & in c. Tua De cohabit. cler. & mulier. nam tunc sufficit sola notorijs allegatio sine probatione, quando non extat formalis partis adversæ negatio, Cynus & alij in d. l. Ea quidem C. De accusat. & præterea notorium ex act. s. iudici, ut iudici, non constat, Cynus & alij in d. l. Ea quidem in 2. quest. Multa enim dicuntur & allegantur notoria esse, quæ non sunt, *c. Consulat. 1. De appell.* Sic ut quemadmodum generaliter negatio rem dubiam facit, *l. ult. C. Quib. ad lib. provoc. non lic.* ita quoque negatio notorijs, quod vel evidentia rei per actum permanentem non apparet; vel in actis non conspicitur, allegationem notorijs dubiam facit, & exactam probationem requirit, *Franc. de Accus. conf. 163. Sicut Ioannes nu. 5. Bald. in Authen. Qui semel Quomodo & quand. Felov. in c. Cum ordinem De rescriptis. Marcus Ant. Natta consil. 275. Visi motus: iuxta illud, quod Papa rescripserit, in d. c. Consulat, providendum esse; an quod dubium est, pro notorio habeatur. Quia igitur prædictam allegationem notorijs, pars Rea negando, dubiam fecit & obfuscavit, nec Actores ullis probationibus vel per instrumenta, vel per testes in hac causâ usi sunt; consequens est, nullam esse habendam rationem huiusmodi allegationis notorijs, de quo non apparet. *¶ Planesius 13 usquam huius allegati privilegij de liberiore facultate testandi, men tio in privilegijs Universitati concessis facta esset, ea quaerenda esset in privilegijs Martini Quinti Papæ, de an. 1425. 5. Id. Decembr. aut Eugenij Papæ, de an. 1440. 3. Id. April. indulgentibus ac permittentibus facultatem percipiendi fructus beneficiorum in absentia; respectu cuius facultatis derogatur omnibus contrarijs constitutionibus ac consuetudinibus. Sed eavolvendo atque revolvendo, non invenitur vel minima mentio de testandi maiore libertate; sed hoc tantum, ultra prædictam percipiendi facultatem in Bulla Eugenij Papæ adijcitur potestas locandi, & arrendandi huiusmodi fructus etiam laicis personis; quæ specialis expressio evidenter indicat, in non expressis servandam esse iuris communis dispositionem, seu consuetudinem generalem. Vnde cum in dictis privilegijs non contineatur testandi facultas, ad eam extendi non debent privilegij verba, limitata ad solam perceptionem & locationem; cum privilegium extra suos limites trahi non possit, *Gloss. in d. c. Cum ordinem & ibi velim. nu. 4. potissimum in casu proposito, ubi nihil agitur de auferendo aliquo ei, qui actu studens adhuc est; sed ei, qui studens seu suppositum esse desit per mortem: non tamen, quam ejus hæredi, qui idem privilegium non meretur: & id adhuc de re, quæ patrimonialis non censetur, de fructibus beneficiorum, qui jure communi extra causam successione sunt, d. c. Cum in officijs, d. c. Relatum; ut ipsa beneficia, c. 1. & ibi gloss. de præben. remanere enim debent apud Ecclesiam, seu ex obtinente consuetudine apud Episcopum bona, etiam mobilia intuitu Ecclesiæ, vel percepta vel****

pta vel clerico debita; nulla sit hereditaria successio in beneficijs & eorum fructibus, non magis ex testamento, quam ab intestato, *gloss. d. c. 1. De proben.* Quia juris communis dispositio cum seculari & indubitata, nullo privilegio Universitati concessio immutata, servanda est, *l. Sancimus C. De testam. & secundum eam in hac causa jus dicendum.*

4^r Verum quidem est (neque enim quod verum est dissimulatum aut celatum cupimus, ad quod tamen partem agentem advertisse non putamus, quia paucis notum est) extare quoddam privilegium Caroli Ducis Burgundiae; quo dictae Universitatis scholaribus, & suppositis, concessit liberam testandi facultatem de suis bonis mobilibus; sed id huc & ad hanc causam applicari non potest. Primo, quia quatenus privilegium continet, respicit tantum illegitimè natos & foraneos, qui ex obtinente in hac patria consuetudine, testandi facultatem sine speciali Principis licentia non habent, *Chassan. ad consuet. Burgund. Rub. 8. De successione §. 1. licet jure communi bene habeant, l. Vivus si quid in fraud. patron. Auth. omnes peregrini C. commun. de success. ita ut in legitime natis parum, aut nihil operetur; ut generaliter licentia testandi, specialiter à Principe obtenta in habili ad testandum nihil ferè operatur; & in eo, qui habilis non est, operatur habilitatem persona; ut expresse jure decisum est, in *l. Si quando c. De inoffic. testam.* Quia quidem licentia testandi obtenta, reliqua omnia, quae jure communi, vel generali consuetudine, statuta ac recepta sunt, servari debent, *Bald. in l. Si mulier De testam.* ne tota juris compago verbis generalibus ad unum tantum effectum prolatis dissolvatur. * Secundo, quia*

15 hujusmodi privilegium est à Principelaico concessum pro diminutione juris sui (quod ex morte illegitimè natorum ipse vel ejus filius consequeretur) & antecedentis constitutionis Philippi Boni Ducis Burgundiae patris sui, de anno 1450. 20. Octobr. quia bona immobilia verabantur relinqui Ecclesiasticis corporibus; eodem privilegio specialiter concessio, ac directo adversus Officiarios suos impedimentum facientes in bonis suppositorum testamento facto decedentium; ut aperte habent dicti privilegij verba; rationi non convenit, ut adversus jus Episcopi Leodiensis intelligatur vel extendatur: cum nulla praesumptio sit Principem suo privilegio alij concessio, juri alteri acquiescere derogare velle, *l. 2. §. si quis à Principe Nequid in loco publi. praesertim ubi derogandi facultas non est; ut est in proposito, * quia Princeps laicus adversus Episcopos aut clericos nihil constituere, aut indulgere potest, Auth. Cassa C. De sacros. Eccles.*

Omnes igitur revolutis & excussis, manifestum est, Actores jure testamentariae successionis, quam praetendunt, nec tamen docent, non esse fundatos: ut fructus beneficii praetacti, per quondam Dominum Joannem Styvaerts nondum perceptos, aut exactos, sed adhuc in credito, seu debito apud colonum tempore mortis ejusdem Dominum Joannis existentes, seu illorum pretium à Reois minime, sed Ecclesiae, hoc est Episcopo, & Archidiacono secundum supradicta obligati.

Conf. Wamel. Tem. II.

exigant; interveniente praesentia dictorum Episcopi, & Archidiaconi collectore; cum etiam exactis ac perceptis fructibus, inter Episcopum & Archidiaconum seu ejus Collectorem ac dictos assertos haeredes, magna oneri posset disceptatio de ijs, quatenus consumpti non essent, restituendis, *Bald. consil. 313. praemittendum est ad evidentiam vol. 2. & consil. 80. ad evidentiam vol. 5. ut merito dicti haeredes absoluto Reo, in expensas hujus litis condemnari debeant.*

Quaerendum omnia dicta sint, salva protestatione, quod nullo studio impugnandorum privilegiorum Universitatis dicta sint. Veritas enim vincere debet, satisque est si privilegia facta recta intra suos fines ac limites conserventur: cum ultra sine violatione juris extendi non possint, *Gloss. in l. Receptimus De privileg.*

De Testamentis.

SUMMARIUM.

1. Testamentum holographum.
2. Testamentum non est nuda scriptura, quae testibus destituitur.
3. Testamentum quando sine testibus fieri potuerint.
4. 6. Testamentum holographum an valeat favore pia causa.
5. Testamentum paternum inter liberos sine testibus valere.
7. 9. Testamentum imperfectum ratione voluntatis ne quidem favore pia causa valeat.
8. Forma futura reciproca non est.

CONSILIUM CCCLXXVI.

SCRIPTURA, quae pro testamento seu ultima voluntate Nicolai Gontard civis Namurcensis profertur, neque solemnitate, neque voluntatis perfectionem habet; * ideoque jure subsistere nobis infra scriptis non videtur. Nam quoad imperfectionem solemnitatis, dubitatio nulla est; aspectus enim ipsius scripturae seu chartae hoc demonstrat; idcirco quod nihil sit nisi nuda scriptura, & minime testamentum; quod est testatio mentis, *Instit. De testam. in princ.* Testatio autem non intelligitur sine testibus, *l. De testatio & ibi DD. de verb. signif.* qui cum in publicatione, nuncupatione, vel descriptione dictae scripturae nulli adhibiti inveniantur, non potest testamenti ullam formam vel perfectionem habere. Idque non tantum inspecta juris civilis dispositione, quae solemnem numerum testium requirit, vel septem vel quinque, *l. Hac consultiissima c. De testam.* Verum etiam juris Canonici benigniore permissione, quae rejecto solemnium testium numero, vulgarem saltem, hoc est duorum aut trium testium, *l. Vbi numerus D. De testib.* praesentiam requirit ad testamenti seu ultimae voluntatis validitatem, etiam in his testamentis, quae ad pias causas conduntur, *c. Cum esset, c. Relatum & ibi DD. De testam.* Ita quod in proposito non sufficiat totam hanc scripturam descriptam & subscriptam esse manu dicti Nicolai; ex quo postquam descripta fuit, adhibitis testibus non est publicata, in qua publica-